98041/P [P]

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

GONORRHOEA.

Voluptas empta dolore nocet.

Horat.

Concordia Res Parvæ crescunt. —

316710

Ex Dono J. Booth, Societatis Ami

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

Ex libris Soc. Med. Abred.

DE

GONORRHOEA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. JOANNIS GOWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *conſenſu*,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE *decreto*;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS MURDOCH HIBERNUS.

Ad diem 23 Auguſti, horâ locoque ſolitis,

EDINBURGI:
Apud G. HAMILTON ET J. BALFOUR
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
M,DCC,LIV.

H. 31

316710

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

VIRO HONORATISSIMO

THOMAE DUNBAR,

LEGIONIS BRITANNIARUM REGIS XLMAE OCTAVAE

TRIBUNO,

MORIBUS PRIVATIS, ET VIRTUTE CONSILIOQUE

PUBLICO ET MILITARI

AEQUE INSIGNI;

CAETERISQUE LEGIONIS EJUSDEM

TOTIES IN ACIE EXIMIAE

IMPERIO PRAEPOSITIS;

MED. CHIR. SOC.
ABERDEEN.

NEC NON

ROBERTO GILLESPIE

ARMIGERO,

VIRO

MORUM COMITATE, HUMANITATE ET AMICITIA

CONSPICUO;

IN REVERENTIAE ANIMIQUE GRATI,

OB MULTA BENEFICIA COLLATA,

TESTIMONIUM,

DISSERTATIONEM HANCCE

D. D. D. C Q.

ROBERTUS MURDOCH.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

GONORRHOEA.

SAPIENTI et omnipotenti rerum Conditori viſum eſt, ita corpora noſtra formare, eâque conditione in terris collocare, ut multis morbis malisque obnoxii ſimus. Quorum alia inevitabilia, et ab origine ipſis naturae noſtrae ſtaminibus intexta ſunt; alia voluptatibus, affectibus pravis et vitiis ſint arrepta. Quumque illa, tot tam varia ſint, tantoſque ſecum gerant dolores, homini nato et ratione praedito minime conſentaneum videtur haec arceſſere; nec quidquam magis cavendum eſſe quis putet, quam ne propriâ imprudentiâ pravoque et illegitimo appetitui indulgendo, morbos adferamus et corpori noſtro importemus;

 quamvis

quamvis nihil quidem aliud quam propriam ipſorum quietem et ſalutem ſpectaremus. Morbus autem, de quo jam agitur, multa in contrarium argumenta funeſta profert.

De quo morbo, ut mori academico ſolenni ſatisfaciam, pauca memorabo, eo tantum conſilio, ut huncce in viris ſolum, et coitu cum infecta quavis propagatum conſiderem, ejuſque ut Gonorrhoeae (vulgo *A Clap)* naturam, ſymptomata medendique rationem ſubmonſtrem: brevitas enim inſtituta vetat, ne ad fluida uſque vitiata, et luem veneream longius proſequar.

A probatiſſimis, morbus hicce, anno 1493 in Europa prodiiſſe, et per Columbum ab Hiſpaniola, Indorum Occidentalium inſula, in Hiſpaniam devectus eſſe creditur. Anno 1494 Neapoli a Gallis obſeſſa, Galli a foeminis Neapolitanis contagionem arripuerunt, quibus ab Hiſpanis ingeſta fuerat: et Hiſpani quidam milites, cum Columbo ad Hiſpaniolam devincendam profecti, ibique infecti in Neapolitanorum auxilium miſſi erant. Hiſpaniolae autem, aliiſque partibus occidentalibus endemicum credit Astruc.

Gallis

Gallis ſemel infectis, per totam Europam morbus diſſeminatus eſt; et in Aſiam etiam Africamque devectus a Judaeis et Mahummedanis, qui Regis Ferdinandi edicto, ab Hiſpania exularunt; ita varie appellatus, prout a quaque in quamque regionem propagatus, ſicut a nobis morbus Gallicus dicitur.

Primo per Europam ortu ingentem fecit ſtragem; ut, ſi perſeveraſſet, genus hominum, ne paucis ſaeculis interiret, periclitaretur. Quiſquis eo correptus eſt, totam ſanguinis maſſam ſentiebat mutatam, et dolores graves in capite et cruribus, ulceraque violenta per varias corporis partes ſpargi percipiebat. Sydenhamus autem tradit hoc malum, centum ante ſua tempora annos, ſub Gonorrhoeae virulentae ſpecie apparuiſſe, et ſenſim indolem mitiorem acquiſiviſſe. Doctiſſimus etiam Astruc, in elaborato de hoc morbo tractatu, eum paucis ſaeculis poſſe penitus evaneſcere opinatur, utpote nullius regionum ſeptentrionalium foetum germanum.

Quum urethra morbi hujus ſit ſedes, ut eo melius intelligatur, pauca de partium affectarum anatomia proferre haud alienum erit *. Urethra

* Winſlow Expoſ. anat. Tom. iv. 531.

thra igitur, quae tubus eſt ſpongioſus, peniſque partem conſtituit, corporibus penis cavernoſis adhaereſcit, per totam foſſae inferioris longitudinem, quae ex iis unitis formatur. Ejus ſubſtantia ſpongioſa et cavernoſa eſt, praeter exiguam prope veſicam partem, et ſuperficies tam interior quam exterior membranacea eſt. Primo non niſi canalis membranaceus eſt, ab anteriore veſicae apertura (ſeu collo) continuatus; ejus ſuperficies interior tenui membranâ vaſculis ſanguineis plena obducta eſt, et multis foraminibus oblongis aut parvis variae magnitudinis lacunis perforata, quarum maximae glandi proxime adjacent. Lacunae iſtae, a pari parvarum glandularum numero orientes per urethrae ſubſtantiam ſparſae ſunt. Ductus autem excretorii aliquatenus in ſubſtantia ſpongioſa per latus membranae urethrae internae convexum decurrunt, et a parte poſteriore antrorſum in canalem majorem oblique ſeſe infundunt. Circa ſeſquidigitum ab origine ſua urethra cavernoſae adnectitur ſubſtantiae, quae, antequam urethram cingat, corpus oblongum, urethrae bulbum appellatum format. Hic ſitae ſunt glandulae Cowperianae quae ſeſe aperiunt duobus orificiis oblique antrorſum in urethram decurrentibus.

PRIMA

Prima * urethrae portio, ſubſtantiâ cavernoſâ non obducta, quae a veſica ad bulbum membranaceus tantum canalis eſt, a magna ſuſtentatur maſſa albicante, inter veſicam et urethrae bulbum ſita, quae proſtata dicitur. Per foſſam cavam, in qua prima jacet urethrae portio, in lobos duo laterales dividi videtur; cujus ſubſtantia interior ſpongioſa eſt, et in ea folliculi continentur aliquot, qui in primam urethrae portionem, ad imum foſſae, ſeſe aperiunt. Ad imum ejus urethrae partis quae intra proſtatam jacet, oblongum quiddam eminet, caruncula ſeu verumontanum dictum, duobus plerumque foraminibus perforatum, quae veſicularum ſeminalium orificia ſunt. Ad utrumque carunculae latus foramina quinque aut ſex in lunae creſcentis modum ordinantur, quae ductuum proſtatae excretoriorum orificia ſunt, a folliculis jam dictis provenientium, et curſu obliquo, membranaceâ quaſi duplicaturâ ad orificia decurrentium.

† Vesiculae ſeminales corpuſcula ſunt mollia, nodoſa, albicantia, oblique inter rectum et imam veſicae partem ſita, ita ut

eorum,

* Winſlow Expoſ. Anat. Tom. iv. 535.

† Ibid. 545.

eorum extrema ſuperiora intervallo a ſe invicem ſeparentur, inferiora autem, inter vaſorum deferentium extrema unita ſint.

Ad partes hinc hoc morbo affectas progrediar, quae ab Astruc in quatuor diverſas morbi ſedes diſtinguuntur. 1mo, In veſiculas ſeminales geminas. 2do, Proſtatam. 3tio, Glandulas ambas Cowperianas. 4to, Celſulas multiplices, quibus urethrae facies interna conſita eſt. In hiſce partibus, aut pluribus, aut paucioribus, morbum ſitum eſſe abunde conſtat, et a corporum diſſectione eorum qui interierunt dum morbo laborarent, et a ſymptomatibus. A dolore et inflammatione in membri extremo et per urethrae longitudinem glandulae Morgagnionae affectae videntur. Et dolor immediate poſt glandem perceptus, glandulas ibi ſitas praecipue affectas eſſe oſtendit. Et in Gonorrhoeis plerumque haec praecipua mali ſedes videtur, niſi admodum virulenti, inveterati, aut inſcite curati. Ubi autem Gonorrhoea virulenta aut inveterata ſit, glandulae Cowperianae, proſtata et veſiculae ſeminales afficiuntur, ut ex perinaei dolore, calore et tumore, patet; et quum in hoc morbo inflammationes toties in teſticulos incidant, veſiculas ſeminales ſaepiſſime affici

veriſimile

veriſimile eſt; quippe cum teſticulis intime nexas.

Morbus hicce plerumque inter tertium et duodecimum diem a contagione recepta ſe prodit. Quod quidem, magna ex parte, ex eo pendet modo, quo vixerit aeger per aliquot dies immediate poſt tabem admiſſam, aut etiam ex idioſyncraſia; et quo ſolutius ederit, biberit aut ſe exercuerit, eo citius, caeteris paribus, malum adparebit.

Primo ſero viſcido ab urethra fluente innoteſcit, minore quidem copiâ et cum ſenſatione blanda; quo urethrae orificium conglutinatur. Orificii rima ſolito rubra magis et calidior eſt. In genitalibus, praecipue inter meiendum, inſolitum quiddam ſentitur, ſine dolore quidem, at cum caloris perceptione quae magis magiſque indies ad dolorem accedit. Brevi omnia in deterius vertuntur, membri extremitas inflammatur, turget et dolet; perinaeum ſaepe tumet et cum dolore calet; aeger lotium reddens magnopere angitur; crebro et invito incommoda ſubit erectio, cum validae conſtrictionis ſenſu, et interdum Gonorrhoea chordata; largus oritur humoris fluxus, calentis et acris, modo ſtriis, filamentis ſanguineis notati, modo graveolentis,

graveolentis, flavi, viridis, vere purulenti. Mali tandem violentia deferveſcente, omnia mitiora deveniunt; humor Gonorrhoicus, minore cum dolore, alba magis et craſſior fluit *; exhauſta ſenſim ſcaturigine penitus exareſcit, ejectis prius floccis ſeu ramentis pluribus tenuiſſimis lymphaticis, ſero innatantibus.

Virus venereum cum urethra communicatum, ibique partium inflammationem et ſuppurationem excitans, hujus mali originem ſtatuere videtur. Ardor ex urina acri oritur, partes ulceratas et inflammatas alluente. Erectionis crebrae et coactae cauſa apud Astruc ita traditur. †" Calentia, inquit, et inflammata ſeminis conceptacula ipſa quidem acutius ſentiunt; vividius vero percelluntur a ſemine aut ſeminali fluido, quo turgent, acriore et calidiore: hinc ergo liquet multiplicari et intendi utrâque cauſâ venereas genitalium titillationes, acceleratores proinde et erectores muſculos, ex ſympathiarum legibus, in contractiones majores et frequentiores agendos eſſe; penemque ſponte identidem inflandum et tendendum eſſe, unde frequens et involuntaria erectio." Hanc autem erectionem dolorem

* Aſtruc, Cap. 1. de Gonorrhoea.

† Lib. III. cap. 1. de ſympt. Gonorrhoeae.

dolorem comitari ex eo ſequitur, quod partes inflammatae et ulceratae, omnes hoc in ſtatu tenduntur, et, ut idem ASTRUC, de Gonorrhoea chordata capite noviſſime memorato inſuper ait, "Urethra graviter inflammata, aut ulcuſculis "ſaucia, non poteſt, in erectione penis, vi diſtrahi ſine acerbo doloris ſenſu; quantumcunque "vero diſtrahatur, non poteſt unquam peni in "erectionem nitenti coextendi: quamobrem "neceſſum eſt penem erigi cum dolore ſummo, "et cum maxime riget deorſum inflecti et incurvari, quaſi chorda ſubtenſa, unde Gonorrhoea chordata dicitur." Ne autem ſymptomatum rationi diutius immorer quam patitur opuſculum hocce, ad curandi rationem jam pergo.

PRINCIPIO pauca dicenda ſunt de regimine per totum morbi curriculum obſervando, et quidem hinc praecipue pendet curatio ejus tuta et expedita.

ÆGER diaetam vegetabilem adcurate adhibeat, et liquores omnes qui fermentationis proles ſunt, ſedulo vitet: ſi vero ea ſit propria naturae indoles, aut ii habitus contracti ut abſtinentiam talem non patiantur, iis tantum cibis et liquoribus, qui mitioris naturae ſunt, indulgeat. Ne-

que enim ullum novi medicamentum cui morbus hicce facile parebit, niſi aeger has regulas obſervet. Ab exercitatione quoque violenta abſtinendum; eam enim penis inflammatio, phimoſis, paraphimoſis, et teſticulorum tumores aut ſimul aut ſigllatim conſequuntur. Et inflammatoria adeo eſt hujus mali natura, ut quae alias exercitatio moderata eſt, nunc damnoſa evadat. Vix eſt ut hic moneam, a venere abſtinendum eſſe, cum nemo animi compos ejuſmodi quid adgrederetur; cavendum autem eſt, ne corpus aëri frigido exponat, ne ſpiracula cutis obturentur.

Igitur per totum morbi ſtadium, ſive mitis ſive virulenti, ſive recentis, ſive inveterati, regimen hocce adcurate obſervari debet; et ſi medicus aegro perſuadere poſſit monitis hiſce obtemperare, paucae admodum Gonorrhoeae obvenient quae ratione communi curari non poterunt.

Cum morbum ſeſe exerentem ſemper inflammatio comitetur, copioſa fiat aegro ſanguinis miſſio, et ſi neceſſe ſit, repetatur; partes affectae, diebus ſingulis, bis aut ter, fomentatione emolliente foveantur; altero quoque die, purgans antiphlogiſticum, ex decocto ſennae et tamarindorum, vel ſale Glauberi et manna, adhibeatur;

adhibeatur; et quibus diebus non adhibetur, ter die aut quater ex decocto radicum Althaeae cum pauxillo gummi Arabici et nitri, ibidem ſoluto hauriat. Haec ratio proſequenda eſt, donec inflammatio ſubmota fuerit, fluor probi coloris et ingenii ſit, et urinae ardor magna ex parte devictus: qui tamen aliqua ex parte ad morbi finem plerumque perdurat.

In hoc aegri ſtatu, calomelanos quatuor aut quinque grana veſpere circa quietem adhibenda; et poſtridie mane purgans antiphlogiſticum adminiſtrandum; atque ita altero quoque die, donec tribus aut quatuor vicibus fuerit repetitum; nec purgantia majore copia danda, quam ut ter vel quater alvum ducant. Acriaque omnia fugienda ſunt.

Omnibus ſymptomatibus inflammatoriis jam ſubmotis, hujuſmodi injectionem probarem: R. gum. Arab. et ſacchar. alb. drachmas binas; ſolve in aquae communis unciis quinque; et adde calomel. drachmas duas. Injectio haec bis die, mane ſcil. et veſpere, uſurpanda, et unciae dimidium ſingulis vicibus injiciendum; aeger autem ſemper curet, ut lotium reddat antequam injiciatur, quo pus ex ulceribus foras eluatur, neve periculum ſit ut ulterius in urethram in-

jectione

jectione pellatur. Syringe autem utendum apicis conici obtuſi, ejuſque tantum longitudinis, ut urethram intrare poſſit; ſi enim ſyringe utaris, cujus extremum praelongum eſt et acutum, longe nimis in urethram penetraret, et dolorem ingentem excitaret; et ob tubi tenuitatem liquor regurgitaret; quod quidem aeger leni pollicis et digiti preſſura facile cavebit, et poſt injectionem ſimili penis extremi preſſura liquorem injectum aliquamdiu retinebit. Hac via aegro progrediendum eſt, altero quoque die purgante antiphlogiſtico adhibito, donec convaluerit.

Illud quidem adfirmare auſim, Gonorrhoeas pleraſque tempeſtive obſervatas nec admodum virulentas, trium hebdomadum ſpatio, hac ratione poſſe ſanari; et ipſe ſaepe citius morbum ſubmovi: quum contra, ratione communi vix hebdomada ſexta ſubmoveatur.

In praedictis Gonorrhoeam ſemper ſtatui ſimplicem, i. e. non inveteratam nec a prava curatione ortam. Si contra inveterata fuerit; injectionem tanta copia adhiberem, quanta ad partem affectam pertingeret, et Barrii medicamentum mercuriale alterans, uti vocat, probarem. * Quo medicamento nuſquam inveni efficacius in Gonorrhoea inveterata ſananda, ubi diu circa

* Med. Eſſ. vol. iv. art. 4.

circa proſtatam, urethrae bulbum aut veſiculas ſeminales adhaeſerit. Alterans vocat BARRIUS; quamvis raro aut nunquam tale eſſe comperi. Hujus remedii doſin ſingulis noctibus exhibendam jubet, quae turpethi mineralis grana decem continet; quot ſane nunquam adhibere auſus ſum; ſed turpethi mineralis grana tria, camphorae et pilulae cochiae grana ſena, tantum eſſe expertus ſum, quantum aegri ſtomachus plerumque ferre potuit; eaque mane et veſpere adhibui.

MEDICAMENTUM hocce pleriſque primo quidem nauſeam, interdum vomitum ciet; ubi autem ter aut quater eo uſi ſunt, effectus nullos incommodos plerumque creat, et poſtea iis laxam praeſtat alvum. Quoſdam primo adhibitum in ſudorem conjicit; aliis glandulas ſalivarias adficit. Quod ubi accidit, paucis diebus intermittendum eſt, et minore copiâ adminiſtrandum; quoniam neutiquam ſalivatione opus eſt. Hac ratione Gonorrhoeas admodum inveteratas ſanavi, quaeque prava curatione, et aegri neglectu ſex menſes duraverant. Et hoc modo medicamentum atque injectio utenda ſunt, donec malum tollatur.

SI tentigo perquam moleſta ſit, unguenti mercurialis frictus externus modicus adhiberi

poteſt,

poteſt, per urethrae longitudinem, quem ſaepe utilem expertus ſum.

In medicamentis, eorumque adminiſtrandorum tempore et modo prolixior et minutior forte videar: at mihi perſuadeo praeſcripta generaliora, quae ſaepius praecipiuntur, non tam fore efficacia, quam ubi ſingulae morbi et curationis circumſtantiae accurate obſervantur et animadvertuntur.

Nullus denique eſt morbus, in quo curando medici magis diſcrepant quam in hoc; alii mercurii uſum prorſus damnant, et antiphlogiſticis ſolis fidunt; alii contra dictitant, quicunque mercurium non adminiſtrat, eum aegro periculum adferre, ne in luem veneream ruat.

Mercurius certe febris ſpeciem excitat: ſi vero, ut hic jam praeſcriptum eſt, doſibus parvis adhibeatur, et regimen ſubmonſtratum adcurate obſervetur; pauca admodum incommoda inde arbitror proventura, in hoc etiam morbo quamvis maxime inflammatorio.

Nonne acrimonia ſingularis malum hocce comitatur, quam mercurius omni alio medicamento fortius debellat?

Nonne

Nonne mercurii modici adminiſtratio ulcerum digeſtionem promovet? Et quum ex ulcerum omnium ſuperficie particulae aliquot abſorbeantur; nonne mercurius doſibus parvis adhibitus, praecavere videtur, ne mali effectus ex hac abſorptione oriantur?

Aliquos quidem, fateor, ſine ullo mercurio, antiphlogiſticis ſolis ſanavi; nec dubito quin complures ſint, qui ex ſingulari idioſyncraſia et bono corporis habitu, hac ratione ſanari poſſunt: vereor autem ne quiſquam hac in re verſatior, et multae praxeos, multos invenerit, in quibus morbus curationi tam leni haud parebit.

Medici plerumque injectiones promiſcue damnant: at certe hic diſtinguendum eſt. Injectione enim aſtringente alio quovis tempore uti, quam ubi virulentia penitus abiit, nec quidquam reſtat praeter ſtillationem parvam viſcidam, certe inſani eſt; et tunc etiam ingenii mitiſſimi injectio ſit, oportet.

Injectio autem mercurialis non magis dolore afficit, quam ſi lac cum aqua injiceretur; et ex ejus uſu ſtillicidium tum colore tum indole paulatim meliorefcit; eodemque modo copiâ minuitur.

Quamvis

Quamvis penis inflammationes, teſticulorum tumores, phimoſis, paraphimoſis aut bubones oriantur, quo tempore aeger hac injectione utitur; num ex regimine inſtituto in cibo potu et exercitatione vixerit, inquirendum. Nec effectus a cauſis aliis, qualiſcunque medendi ſit ratio, oriri ſoliti, injectioni huic imputandi ſunt. Ea certe aliquot jam annos uſus ſum, nec ullum ex ea incommodum provenire expertus, ubi aeger regimen praeſcriptum adcurate obſervabat.

F I N I S.